



**Disputatio juridica sexta de quatuor elementis juridice
tractatis, quae de aqua in qua primum generaliter agitur de
aqua omnibus communi, nempe de mari, littore, atque aqua
profluente**

<https://hdl.handle.net/1874/19312>

DISPUTATIO JURIDICA SEXTA

De

QUATUOR ELEMENTIS
JURIDICE TRACTATIS.

QUÆ De

21 B
696 A Q U A

In qua primum generaliter agitur de a-
quâ omnibus communi, nempe de mari,
littore, atque aqua profluente.

Q V A M

Summo Sacræ Trinitatis auspicio

P R Æ S I D E


Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimoque VIRO;
Dn. JOHANNE STEINBERGIO,
Icto longè celeberrimo, ac in illustri hac
Groningæ & Omlandia Academia Antecessore
primario Domino Fautore ac Præceptore suo
omni observantiæ genere colendo.

Publicæ placidæque disquisitioni subjicit

GERHARDUS HAMMACHÆRUS

Osnabrugensis Westphalus.

In æroaterio Ictorum publico ad diem Septemb.



G R O N I N G Æ,

Typis JOHANNIS SAS, Ordinum & Aca-
demia Typographi. ANNO 1649.



DISPUTATIO JURIDICA SEXTA

De

QUATUOR ELEMENTIS JURIDICE TRACTATIS.

QUÆ EST

De AQUA.

In quâ primùm generaliter agitur
de Aquâ omnibus communi; nempe de
Mari, item de Littore, & Aquâ profluente.

Respondente

GERHARDO HAMMACHÆRO
Osnabrugensi Westphalo.

Thesis I.

Sequitur Elementum Juridicum ter-
tium, nempe *Aqua*; cujus Physico-
rum filij variam suppeditant defini-
tionem: inter alias, ex definitio-
ne Aristotelicorum, quod Aqua sit
Elementum frigidissimum & humidum, inter ter-
ram & aera veluti medium. Sed nos intra Icto-
rum oleas remanentes, considerabimus eam ma-
ximè ex usu; quem vel in communi, publico,
aut privato præstat.

II. Quod ad communem; Mare commune om-
niū est, & littora maris; quatenus ea usui maris ser-
viūt: & aqua profluēs. De quo *vid. §. 1. Inst. de acquir.
rer. domin. l. 2. §. 1. ff. de R. D. l. 3. §. 1. ff. ne quid in loc. publ.*

III. Veniunt itaque in considerationem hæc

F

tria

eria communia : quæ ut quoquo modo describan-
tur, operæ precium esse videtur.

IV. Priusquã autẽ ea in theatrũ producamus, &
hoc operẽ precium esse videtur, ut præmittamus, pro
meliori dilucidatione, amphiboliã vocabulicõmunis.

V. Commune, ut *infr.* patebit, sæpẽ etiam
sumitur pro publico; interdum per communes res
intelligimus res jure naturæ communes; veluti
dum *Aristo l. 10. ff. de R. D.* ait, quod sicut id quod
in mari ædificatum est, fiat privatum; ita quod
mari occupatum est, fieri publicum. E. g. quod
in littore quis edificaverit. Nam littora publica
non ita sunt, ut ea quæ in patrimonio sunt popu-
li; sed ut ea quæ à naturã primũ prodita sunt,
& in nullius adhuc dominium pervenerunt *l. 14.
pr. ff. de acquir. rer. domin.* Quin imò sæpẽ com-
munes res dicuntur quæ plurium simul sunt; ut
casus dantur in actione familiæ erciscundæ, com-
muni dividundo, pro socio. *per tit. & ll.* Item
pro communi sumitur, quod est universitatis; ut
l. 6. §. 1. ff. de R. D. universitatis sunt non singu-
lorum, veluti quæ in civitatibus sunt theatra, &
stadia, & similia; ac si quæ alia sunt communia ci-
vitatũ. Sic servus communis civitatis; *d. l. 6. §. 1.* sic
communes pecuniæ, communes rationes Collegi-
orum, & corporum *l. 1. §. 2. l. 3. pr. ff. de colleg. &
corporib.* Commune jus; quod vel commune est
cujuslibet; vel quo omnes populi utuntur; id
quod est juris gentium *l. 1. §. ult. l. 9. ff. de l. & l.* Com-
munis

munis usus i. e. communis observantia &c. Nos autem pro subjectâ materiâ h. l. τὸ commune sumimus hoc, quod jure naturali commune est, nec adhuc in alicujus ditionē aut dominium pervenit l. 14. ff. de acquir. rer. domin. at verò occupanti conceditur: qualia sunt mare, & per hoc littora maris. §. 1. Inst. de R. D. Que etiam ratio est, cur nemo ad littus maris accedere prohibeatur, ut vel illic loci piscetur, aut aliud quid agat; dum tamen à villis, & monumentis (memoriæ servandæ gratiâ ibi erectis) abstineat; cujus ratio itidem est; quia hæc non sunt juris gentium; ne dicam quod fortè per hæc monumenta indigentur à Triboniano sepulcra; quæ sunt juris divini; tt. ff. de relig. & sumt. fun. tt. de mort. inferend. tt. de sepulcr. violat.

V I. Mare autem nobis describitur gl. ad l. pen. ff. ad l. Pompei. de parricid. congregatio multarum aquarum. Alijs, omnis aquarum congeries: item collectio reciprocantium aquarum generalis; alijs collectio aquarum, earumque receptaculum, & quasi thesaurus, & promptuarium.

V I I. Sub mari gloss. ad l. 1. de his qui parent. occider. comprehendit quoque abusive amnem & flumen, ibi; vel in mare, vel in vicinum amnem projiciatur. item §. 6. Inst. de publ. judic. sicque gloss. cum d. l. 1. conciliat l. pen. ff. ad l. Pompei. de parricid. Alioquin rectè mare à flumine distinguitur §. 1. & §. 2. Inst. de R. D. quatenus videlicet mare est omnium aquarum, quæ sub cœlo sunt, receptacu-

lum falsum intra alveum suum se continens. Ac per mare intelligimus maximum illud mare, quod totam terrâ ambit, & ad quod reliqua omnia maria reducuntur, ac à velocitate Oceanus appellatur.

V I I I. Cujus maris varij sunt sinus, eorumque variantia nomina. Hinc Plinius totam Europam, quæ Mediterraneo mari alluitur, in quatuor præcipuos dividit sinus; quorum primus Calpæ Hispaniæ, & Lacinio extremo Italiæ promontorio includitur: secundus à Lacinio initium sumens Acrocenaurijs montibus terminatur; tertius ab Acrocenaurijs ad Hellesponti angustias extenditur: quicquid reliquum est Europæ, usque ad Tanaim fluvium quarto sinu includitur.

I X. Atque hac ratione, hocque intuitu, verisimile est Ict. Paulum, l. 14. ff. de injurijs proprium jus maris ad aliquem pertinere dicere; ideoque *uti possideis* interdictum ei competere, si quis prohibeatur jus suum exercere; quod ad privatam causam hæc res jam pertineat, non ad publicam; utpotè cum de jure fruendo agatur, quod ex privatâ causa contingit, non ex publicâ; sicq; adjacens quoddam divorticulum, fretum, aut sinum respexisse: veluti Veneti *sinum Adriaticum* jure occupationis sibi adpropriarunt; ita quidem ut longo jam usu receptum sit, in supremæ eminentiæ, & pleni domini ac jurisdictionis signum & argumentum Serenissimum Ducē ipso Dominicę ascensionis die, magna Senatus parte eum comitante, ad sinus

ad sinus fauces progredientem mare sibi aureo desponsare annulo, hunc in subjectum pelagus è navì projiciendo; in indicinam veri perpetuiq; imperij.

X. Sic ad exemplum Mediterranei Oceanum Atlanticum nominant, quod ab Occidente Atlantem montem alluat; Britannicum, quod Britanniae, Germanicum, quod Germaniae proximum est: ubi Hispaniam alluit, Ibericum appellant: ubi Liguriam Ligusticum; ubi Tusciæ proximum est Tuscum vel Tyrrhenum appellatur: Balticum, quod Rex Daniae sibi vendicat; vide *Lexicograph.*

X I. Quas maris partes, sinusque usurpari posse sunt qui concedunt; at saltem ratione imperij, quo nixi, juvandæ navigationis gratia & ut piraticæ incursiones, vi majori & legitima, impediantur perpetua vigilantia; ad quod cum sumtus requirantur, etiam vectigal imponi posse, ad exemplum Romani vectigalis Erythraei; Byzantini, ab Atheniensibus exacti; & aliorum: non verò proprietatis atque dominij jure. Quod tamen dominium, ut nec Veneti, nec alij potentes accolæ sibi eripi patientur: ita quidem, ut communi maris usu, & natura negotiationibus hominum per mare prospiciente, eaque salva manente, non video, quò minus post plurium annorum possessionis continuationem hoc vel illud diverticulum, hunc vel illum sinum jure universitatis, supersupericritatis, ac proprietatis sibi habere & vendicare

dicare nequeat : dummodò semper manserimus in terminis distinctionis inter immensi, & incomprehensibilis Oceani occupationem, quæ nec verè ac propriè fingi quidem potest ; & inter finem aut partem maris ; qui sinus alicubi vel exiguiam fluminis latitudinem excedit.

X I I. Quibus præsuppositis, non est quod moveamur illo Juris nostri axioma, mare commune esse ; esse juris gentium primævi ; & consequenter etiam coherentes sinus. Etenim multa nata sunt jura, vel violentiâ, vel tempore, moribusque stabilita, quæ antiquum vel minuunt, vel flectunt, vel tollunt.

X I I I. Sed nos impræsentiarum manebimus in terminis intra quos Jurisprudencia nostra nos continet ; & quatenus illa vi, ac tenore juris gentium istud nobis ob oculos ponit.

X I V. Quo sensu sanè jure naturali, non privata aut civili conventionione, commune est mare, & per hoc littora maris, quatenus ea mari cedunt tanquam pars, §. I. *Inst. de R. D.* Et hæc communio naturalis, tum propter immensitatem, tum propter usum maris, ita fulcitur ac stabilitur jure gentium ; ut nemo in mari navigare, nemo in eo piscari prohibeatur ; adeò ut contra prohibentem injuriarum agi possit *l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. public.* Hinc Cicero, quid tam commune, inquit, quam mare fluctantibus, litus ejectis ? Itaque cum inter prima justitia sit munera, rebus communi-
bus pro

bus pro communibus uti; & totius humanitatis consensu
proprietati subductum sit mare, propter perpetuum ejus
usum communem, occupatione in jus proprium transire
non poterit. Inde justa quoque & legitima belli at-
que excidij Trojani inter alias, causa fuisse vide-
tur injuria à Laomedonte Argonautis in Col-
chidem sine maleficio navigantibus facta: quos
barbara immanitate ille ad Sigæum promontori-
um littore prohibuit *Reus. in disp. lib. singul. ex
Herodot. Melpomen.*

X V. Quæ etiam ratio est, quod cum lit-
tus tanquam accessorium sequatur principale, h.
e. mare; quilibet ad littus accedere & in loco ibi
vacuo ædificare possit; & id quod quis ædificat
fiat privatis, ædificansque soli dominus efficiatur,
l. 6. ff. de R. D. Interim verò quamvis littorum ac-
cessus communis sit; nihilominus tamen is qui æ-
dificat, tenetur à villis, h. e. casis ubi retia ex-
ficcantur, aut à monumentis, memoriæ servan-
dæ gratiâ ibi erectis abstinere: tum, quia ita pri-
vatis debet jus occupandi commune esse ne tertius
impediatur: tum, quia, si per monumenta in-
telliguntur sepulcra, ea sunt juris divini. *Vid.
dissert. ad Instit. 6. thes. 6.*

X V I. Accedit huc ea quoque Maris ac lit-
toris convenientia; quod, quemadmodum usus
maris jure gentium omnibus patet ac liber est ad
navigandum, & piscandum *l. 3. §. 1. ff. nequid.
in loc. public.* ita quoque non solum ad littus ma-
ris ut,

ris, ut innuimus, cuius accedere liceat *l. 4. ff. d. R. D. littora*, quatenus hybernus fluctus maximus circa Vergiliarum occasum, quo tempore mare maximè conturbatur, excurrit, & fluctus se maximè effundunt *§. 3. Inst. de R. D. l. 96. & 112. ff. de V. S. omnibus vacare l. 51. ff. de contrab. emt.* verum etiam ea quæ ex naufragio ejecta sunt, in littore excipere *l. qui levanda 8. ff. de leg. Rhod. de jact. l. 1. C. de naufrag.* Ideoque nec occupanti conceduntur, nec fisco acquiruntur; qui nullum jus habet in aliena calamitate ut de re tam luctuosa compendium lectetur *d. l. 1. C. d. naufrag.* Sed manent in potestate dominorum; de quo etiam *Authent. Frideric. Navigia C. de furt. Gail. lib. 1. observ. 18.* quoniam voluntas abjiciendi eas res semper defuit. Ac meritò Imp. *§. ult. Inst. de R. D.* infert, si quis ejusmodi res animo lucrandi, sibi que habendi occupaverit, eum furtum potius committere, quam quod suas faciat. Nam omnia quæ in definitione furti ponuntur *l. 1. ff. de furt. & §. 1. Inst. quib. mod. oblig. ex delict. nasc.* accommodari possunt ad eum, qui tales occupavit animo lucrandi: quippè cum injuria sit maxima naufragum spoliare *d. l. 1. C. de naufr.* eaque contra ipsam legem naturæ committatur. Quocirca etiam secundum tenorem juris nostri Civilis, omninò statuendum videtur; quod cum mare natura omnibus pateat; nec mari privata lege servitutem imponi posse *l. 13. ff. commun. prædior.*
siquidem

siquidem etiam ne longi quidem temporis præscriptio ad obtinenda loca jurilgentium concedi solet *l. 45. pr. ff. de usurpat. & usucap. l. 7. ff. de divers. & temporal. præscript.* sanè non sine justa causa & momentosa ratione certum tempus, pro regionum consuetudine, præstitui poterit persecutioni rerum naufragio amissarum *l. 2. C. de naufrag.* imò si insinuatio per præconem, aut quovis alio modo facta sit, ac nemo sese offerat, facile etiam largimur vel pauperibus dominium; divitibus autem suaferimus ut pauperum quoque rationem habere minimè supersedeant.

X V I I. Naufragio accensemus jactum mercium; per quem intelligimus eum, cum res levandę navis gratia projiciuntur; qui jactus ceu omnium contributione sarcendus est, qui pro omnibus factus est *l. 1. ff. de l. Rhod. de jact.* ita quoque ab inventoribus res jactę restituendę: quia qui res aliquas levandę navis causa projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant; quippè si invenerint eas ablaturi, & si suspicati fuerint, in quem locum ejectę sint, eas requisituri essent *l. 8. ff. de l. Rhod. de jact.*

X V I I I. De utroque naufragio, & jactu agere videtur *l. 9. ff. de l. Rhod. de jact.* quam paucis pro hac vice occasione ptopositę quęstionis delibabimus: cujus *d. l. 9.* verba ita habent: *Deprecatio Eudæmonis Nicomediensis ad Antoninum Imperatorem: Domine Imperator Antonine naufragium*
F 5 *in Italiã*

in Italiâ facientes direpti sumus à Publicanis Cyclades insulas habitantibus. Respondit Antoninus Eudæmoni, Ego quidem mundi Dominus : Lex autem maris. Lege id Rhodiâ, quæ de rebus nauticis præscripta est, judicetur; quatenus nulla nostrarum legum adversatur.

X I X. Cujus legis summa est; quod insule, vel peculiares provinciæ jure & indultâ lege uti possint; licet Imperator sit supra leges.

X X. Species enim facti *b. l.* ita fingi potest. Eudæmon quidam naufragium passus, ob bona ex eo naufragio à publicanis Cyclades insulas Italiæ habitantibus, confugit ad Imperatorem, eorundem restitutionem per eum postulans: Cui Imp. Antoninus respondit; se quidem dominum mundi, ὁ νόμος; verum tamen certis legibus nauticis publicis positis, velle eas servari; nec quicquam in ejusmodi negocijs definire: dummodò non aliqua lex seu Constitutio Imperatoria ijs legibus adversetur.

X X I. Quæ lex in duas partes dispesci potest: quarum prima considerat casum naufragij: altra rescriptum Principis Antonini.

X X I I. Circa primam partem rursum primò consideranda venit ipsa persona patiens, five actor, nempe Eudæmon Nicodemienſis: deinde princeps, quem is alloquitur, Antoninus: denique naufragium; q. d. navifractionem à nave & frango: quia plerumque navis frangitur.

X X I I I. De hisce omnibus summatim tenendum

nendum; generale quidem esse; ut liceat unicuique naufragium suum impunè colligere *l. ult. ff. de incend. ruin. naufrag.* ideoque ne quid ex naufragijs diripiatur vel quis extraneus interveniat colligendis ijs, multifariam prospectum est; ac de his quos diripuisse probatum, Præsides, ut de latronibus, gravem sententiam dicunt *l. 7. ff. de incend.* prout etiam Senatusconsulto Claudianis temporibus facto, itemque alio cavetur *l. 3. §. ult. ff. de incend. ruin. naufrag.*

X X I V. Nam etsi mare, & littora maris sint juris communis §. 2. *Inst. de R. D.* ita ut non solum res velut uniones, & gemmæ in littore à me inventæ statim meæ fiant, §. 18. *Inst. de R. D.* cum eæ nullius sint §. 1. *Inst. de R. D.* sed etiam pro mero acquirendi dominij modo ædificium in littore ponere queam; *supr. thes. 13.* illiusque dominus effici *supr. alleg. l. 6. ff. de R. D.* ut ne quidem Prætoris edicto opus sit, vel ut alij legunt principis *l. 50. ff. de acquirend. rer. domin.* quæ tamen *d. l. 50. per l. 3. §. 1. & l. 4. ff. ne quid in loc. public.* dextrè explicatur: tamen res naufragio amissæ, aut levandę navis causa in mare projectæ occupanti non conceduntur *supr. d. §. ult. Inst. de de R. D.* ob rationem *ssupr. allegat.*

X X V. Cum itaque Publicani *d. l. 9. de l. Rhod. Δημοτοί* dicti, (etymologiâ Latinâ indè, quod conductum habuerint id, quod erat populi, quasi populicum; ad exigendos publicos redditus,) Cyclades

Cyclades insulas in mari Jonio (*teste Plinio*) sic dictas, quod in cycli formam sunt dispositæ, inhabitantes; diripuissent bona naufragium passo Eudæmoni; is imploravit Principem Antoninum, ut sibi jus redderet.

X X V L Veruntamen, quamvis *d. l. 3. §. ult. & d. l. 7. ac passim*, Præsidibus incubuerit, secundum Edicta, Senatusconsulta, & Constitutiones, circa ea, quæ ex naufragiis diripiebantur, decidere: tamen quia Eudæmon noverat insuper, speciali quodam, ac certo jure, siue provincias, siue insulas, & respublicas niti; quod Imperator Antoninus νόμοντῆς θαλάσσης nominat; quo dicta & similia loca fortè sibi partem ex naufragio vindicabant; ei verò iniquum videretur; idcirco ad Imperatorem confugere, eumque consulere voluit. Et hæc de primâ parte *d. l. 9.*

X X V I I. Quod ad secundam partem, nempe responsum seu rescriptum principis attinet; Antoninus sapienter Eudæmoni respondet; se quidem esse mundi Dominum; sed legem maris.

X X V I I I. Etenim, quemadmodum Romani *l. 12. tabb.* à Græcis accepere *l. 2. §. 4. ff. de O. l.* ita nauticas à Rhodijs sumserunt, ob excellentiam ac vetustatem. Ac Rhodum urbem maritimam, reliquis ob disciplinam navalem, & Rhodiorum in legibus maritimis prudentiam fuisse antepositam ex Strabone constat.

X X I X. Dum autem Antoninus ait; Ego
quidem

tè verba libelli secutus, in rescripto regessit; q.
d. Quanquam ex sententia tua, Eudæmon, sim
dominus mundi; tamen lex maris, secundum
Rhodias leges, dummodò ea nostris non adver-
setur, in hoc casu prævalebit.

X X X I I. Voti causa: quia nihil magis op-
tabant Romani, quàm totius mundi imperium,
quasi à Jove promissum juxt. *Virgil. lib. 1. Æneid.*

*His ego nec metas terris, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi etc.*

Et *Ovid. 5. Fastor.*

*En hujus nate auspicijs illa incluta Roma,
Imperium terris, animos æquabit Olympo.*

*Horat. 2. od. 15. Imperi porrecta majestas ad ortum so-
lis ab Hesperio cubili. Liv. lib. 1. abi, nuncia Romanis,
Cælestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit.*

X X X I I I. Sermone vulgi: quia metu
totum orbem Romanus princeps eatenus compe-
scuit, quatenus nomen Romanum ad gentes per-
venit. At hoc minùs appositè.

XXXIV. Quin imò cum constet, per mundum,
attestante ipsa experientia, universum statui non
posse, nec simpliciter & absolutè, nisi secundum
quid, principem Dominum ejus *arg. l. 2. §. 10. &
l. 6. ff. ne quid in loc. public. ideo interpretationes,
vel à superioritate, dominio, protectione, pub-
lica tutela, Reip. sustentatione, &c. finxere.*

XXXV. Minùs autem, placet, si crassissimam
hyperbolen effugere voluerimus, vel cum *Bartolo;*
vel cum

vel cum alijs ei similibus, qui suaviter blandiendo statuere, Imperatorem esse Dominum Orientis, occidentis, meridiei, Septentrionis.

XXXVI. Quin potius *d.l.9.* corpori Civilis juris inserta, sic quoque legibus Civilibus aptanda erit; ut cum his facili negotio conciliari queat; id quod fiet; si orbem vel mundum intellexerimus ceu orbem Romanum, qualiter in orbe Romano vi Antonine Constitutionis Cives Romani effecti sunt *l. 17. ff. de stat. hom. argt. §. 2. Inst. de I. N. G. & C. κατ' ἐξοχήν*, imò verò poti⁹ *καθὰ συνειδοχήν*, quando scilicet totum ponitur pro parte nobiliori. Ac eò collimat quoque idem sensus, qui elicitur ex *l. 6. §. 2. ff. de excusat. tut. l. ult. §. ult. C. de quadrienn. præscript. l. 32. pr. C. de appellat. & consultat. Novell. 105. c. 2.* Consulantur etiam autores Classici, & inter eos Cicer. pro dom. qui Senatum P.R. omnium gentium ac Regum concilium vocat. Ovid. 1. de art.

*Nempè ab utroque mari juvenes, ab utroque puellæ
Venère; atque ingens orbis in urbe fuit.*

Plin. lib. 2. c. 5. Nunc eos exponam, quos mirata est Alexandri Magni victoria, orbe peracto etc. Nec abhorret sacra scriptura ab hac loquendi formula, Dan. 2. vers 37. 38. *Estr. 1. c. 1. v. 2. Luc. 2. v. 1.*

XXXVII. Quocunque autem modo Imperatorem mundi dominum dixeris; sane concede ipsi potestatem, seu omnimodam jurisdictionem; jus belli ac pacis; legum ferendarum, & aliorum reservatorum politicorum. Excipe autem dominum
regum

rerum privatarum l. 5. ff. de natal. restit. l. 7. C. de precib. Imper. offerend. l. 3. C. de rescind. vendit. auth. res quæ C. de legat. Nec enim aliter principis sunt, quàm protectionis & jurisdictionis superioritate atq; dominio considerato: nō pro privati arbitrij libidine; sed legitimo ordine; legumque præscripto l. 1. pr. C. de sum. Trin. l. 8. C. de legib. non pro quæstu & lucro proprio; sed pro utilitate imperij procuranda l. 32. C. de appellat. non de re ipsa privatorum, sed si fortè privatus decedat sine herede l. 1. l. 4. C. de bon. vacant.

XXXVIII. Pro coronide; dum Imperator §. 2. Inst. de R. D. & Marcianus l. 2. §. 1. ff. de R. D. aquā profluentem accenlet rebus communibus; per eam intelligitur, quæ à flumine separatur; atque ita nemini hominum negari potest; æquè ut nec aer, qui attrahitur à quocunque. Nam Elementorum usus communis est; quod elementum attrahendo meum facio: *Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est Ovid. Et Plaut. Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?* Sic itaque aqua fluminis profluens distinguitur ab ipso flumine: quod flumen sit quasi totum; aqua autem profluens in singulis partibus consideretur. Nam flumen integrum usum præbet navigandi; &c. aqua profluens, ut pars tenuis dum quis potat, aut abluit. Atque hinc facilè etiam est videre differentiam inter aquā fluminis, & quæ ex fontibus fluit; quæ non publica; & per consequens eorum quoque usus proprius, & privatus.

DISPUT.

COROLLARIA

I.

PActū commissorium in pignore sicuti durum, ita & iniquumcum hodiernis Dd. merito improbandum censemus.

II.

Minorem sine curatoris consensu civiliter obligari, non probamus.

III.

Alterius generis impressa moneta pecunia quam cujus credita, creditori invito solvi posse est extra dubium.

IV.

Emptio uno nummo sicuti nulla, ita ridiculè eam asseri in confesso est.

V.

Mulier extra judicialiter Scto Velleiano haud virtualiter renunciat.

VI.

In casibus juris ambigui pro amico judicare sana ratio non prohibet.

VII.

Litis contestationem non veris sed quasi contractibus annuamus.

VIII.

Solâ Scripturâ contracta stipulatio inter presentes non valet.

IX.

Qui rem aliquam invito domino se contrectare putat, cum tamen eo consentiente fiat, furtum fecisse non dicitur.

X.

Princeps subditos suos invitos in alium transferens non excusatur.

A D

Præstantissimum et Doctissimum

Dn. RESPONDENTEM,

De Aqua & L. Rhodia disputantem,

E P I G R A M M A.

DUm tentas ad aquam penetrare & Nereos undam,

HAMMACHERE tuæ sit levis aura rati.

Ne vastum metuas pontum fulcare carina,

Merx tua sic lato naviget Oceano.

Oebalij fratres duo signa faventia nautis

Portubus antennam reddere Teque velint.

Sic rerum ruspator eris, quas Cycladas inter

Ejecit scopulo naufraga puppis aquis.

Naufragium nec erit studijs, sed scita Quiritum

Ingenti capies juris in Oceano:

Et Rhodias leges, quas tu Romane probasti:

Nautica gens etenim si fuit, illa fuit.

Sed Tu ne properè cymbam subducito ponto,

Ante pererranda est Doris amara Tibi.

Utque gubernator cymbam nunc dirigis alto;

Curia & in media tempore Tîphys eris.

Festinator ludebam

GUILELMUS SNETLAGE.